



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

XII. Pasti cadaveris. Pro civibus contra legatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

videntur occisi. Sed verum, iudices, fatendum est, timeo mehercle ne par solatiis meis non sim, ne me iste quo pro liberis irascor affectus, in media ultione destituat. Sed adjuvate, miseremini propinqui, adjuvate amici: & si forte defecero, tu ultionem meam, popule, consumma. Timeo mehercle, ne cum carnifex propius accesserit, subito proclamem, jam malo patrem. Sed si quis est pudor, oculi differte lacrymas, abite gemitus, horridum, trucem debeo præparare, & miserum. Deprehendam igitur omnium mortalium callidissime, hunc quem simulas, quem nunc imitaris affectum: tunc sciemus quo animo rogaveris ut potius ipse morereris. Sed si bene novi capax omnium malorum scelerumque pectus, inimice vives & libenter, & fortiter & quasi vindicatus.

DECLAMATIO XII.

PASTI CADAVERIS.

ARGUMENTUM.

*Cum civitas fame laboraret, misit ad frumenta legatum, præstituta die intra quam rediret. Profectus ille emit, & ad aliam civitatem tempestate delatus duplo vendidit & duplum frumenti modum comparavit. Illo cessante corporibus suorum passi sunt. Reversus ad præstitutam diem rei publicæ læsæ accusatur.*

PRO CIVIBUS CONTRA LEGATUM.

QUAMVIS, iudices, innumerabiles me indignandi causæ initio statim actionis strangulent, quia nec dicere universas semel possum, nec gregatim erumpentes differre gemitus (levior est enim dolor qui disponitur) primum tamen ille sibi asserit locum, qui est ex hoc iudicii tempore & tam lentæ vindictæ dilatione ortus, animi mei prope dixerim furor, quod hominem tam sceleratum, ut nos quoque fecerit nocentes, legibus accersimus, quod defendi patimur, quod ut puniatur precamur, quod damnatus quoque vel morte defungetur, quam nos in illa funestissima fame, dum sepeliri licuit, optavimus: vel exilio, quod

quod hic quantopere contemnat, apparet, qui tam lente in patriam revertitur. Quanquam de quo exilio loquar? Quantalibet ignominia dimittite domo notatum, habet quo eat. Non publicis manibus exeuntem discerpimus, non (quoniam semel consueveramus, & bona fide ferarum esse civitas cœperat) hic primus nobis ex tam tardo comœatu placuit cibus? Sic enim istum laniari, sic confici, sic consumi oportuit jure nostro. Quis credat? ego me ab hoc abstinere potui cum & esurirem, & irascerer? Sed frumento occupati sumus, nec quicquam aliud videmus. O quanta es fames, quæ tam grandem iram vicisti! At ego etiam si talis ultio contigisset, si me à nefario grassatore reipublicæ non lingua, sed dentibus vindicasset, nihil tamen iræ, nihil vindictæ præstiteram: hoc & meis feci. Æstuant adhuc intra pectus sepulta ventribus nostris cognata viscera, & tumescere intus atque indignari videntur, & sera pœnitentia redundant. Jam enim vacat nobis lugere, jam cibus nostros efferimus, viscera cremamus: nam cætera nobiscum sepelientur. O fames inaudita, in qua levius est quod esurimus! Ignoscite tamen violati manes meorum, hic vos alloquor, ignoscite quod ora temeravimus, quod ab homine descivimus. Non ut infelicem animam sustineremus, non ut invisum spiritum produceremus, fecimus: una causa mortem distulimus, quod si expirasset, idem timebamus. Et ego quidem me consumtis excuso, qui mihi ipse irasci non possum, at iste interim stat ut videtis, longa via saginatus & satur, atque abundans publico comœatu: ad mentionem ciborum nostrorum plenum fastidio vultum trahit & exangues ac pallidos ad calculum vocat: quasi ego non confitear illum etiam nimium multum attulisse. Tam pauci, rari per vias interlucent, & quamvis odio everforis nostri evocatus è latrebris suis populus, subsellia non implet. Pauci sceleribus

passi  
 i Multum attulisse. Tam pauci.] Distingue & scribe: quasi ego non confitear illum etiam nimium multum attulisse tam paucis. Rari per vias interlucent. Significat enim majorem partem fame perisse. Gronovius.

passi, alienis mortibus salvi, quod vivunt, ipsi sibi rei graves, ægra & tabida membra in publicum protulerunt. Hæ sunt civitatis reliquæ, quas videtis. Sic tabuimus, ut miseri nec vivos habeamus, nec mortuos. Hic est populus, hæ vires, hæ spes, hæ opes. Nisi tandem ad vadimonium, legate, venisses, non multorum dierum comteatum habebamus. Quo nunc tantum frumenti? quo classem comteatu gravem? Multum hercle negotiatione tua actum est. Frumentum habeo, populum non habeo. Nusquam prodest, nusquam opus est, jam licet vendas. Dum tu salutis publicæ nundinator proximum quenque emptorem dimittis, dum aut funera nostra vendis, aut scelera: dum populo tuo fame moriente, alienæ civitati legatus es factus, nos interim cibos ex malis invenimus, & fames se ipsa pavit, & miseriæ nostræ crudeles factæ sunt. Patiamur te defendi, si absolvi saltem nos possumus. Hæc nunc, judices, ego solus queror? ad me magis pertinent? aliquid proprie passus sum? non communem dolorem accusator habeo cum iudicibus? Quisquam in hac vindicta alteri cedit? non publica inopia, non totius populi mendicitas una fuit? Nisi quia funestas epulas & nefarios invenimus cibos, non putamus famem fuisse. In omnes gentes, in omnia ventura secula proscripti sumus, omnes hæc prodigia narabunt, omnes execrabuntur nisi qui non credent. Famem ipsam infamavimus, & (quod miseris ultimum est) miserationem quoque perdidimus. Adhuc tamen una defensio fuit quod videbatur in hæc omnia istius opera impulsæ. Si hic innocens est, nostra culpa est. Etiamne publica mala narrabo, & miseriis nostris convitium faciam? Exhibunt verba? subsequetur sermo? non alligabitur lingua? Plane nihil non possumus. <sup>1</sup> Exploramus ordinem cladis nostræ, & simpliciter omnia indicantur. Decet ista nostro ore narrari. Sed novimus, & nimium meminimus, iudex doceri non debet, opinor: reo indicanda sunt qui à malis

L publi-

<sup>1</sup> Exploramus ordinem cladis.] Forte, explicemus. vel, Exponamus. Gronovius.

publicis abfuit, qui hoc certe maximum debet patriæ suæ beneficium, quod à fame solus dimissus est. Audi itaque, audi, frumentum istud quod lucrificasti, quanti nobis constet. Aliquis fortasse, iudices, miratur, etiam si huius feralis anni fructus cessavit, quod tamen illa superior longi temporis beata fœcunditas tabuerit: & secum iste dubitat, quid sit in caussa cur civitas opulenta quondam nihil frumenti nisi in spe habuerit. Sic fit: ubi vicinis civitatibus vendimus, & undecunque affulsit lucrum, sine respectu salus publica addicitur, in vacuam possessionem fames venit. Etiam si quid residui erat ut carius quidam venderent ad annonæ incendium suppressum est. Testor tamen conscientiam vestram, non sumus questi quandiu duplo emebamus. Non enim vulgaris illa labes frumenti fuit, nec qualis aliis ab agricolis accusari solet perfidia terrarum, & ingratae messis irritus labor. Nova & inaudita & abominanda lues, quæ nihil homini reliquit præter hominem. Aut astricta citra conatum sata sub ipsis tabuere fulcis, aut levi rore evocata radix in pulverem incurrit, aut perustis torrido sole herbis moribunda seges impalluit. Nullus imber sitientis soli pulverem terfit, nulla super arentes campos saltem umbra nubium pependit. Calidi spirare venti, maturitate præcepit æstus: etiam sicubi forte jejunæ herbæ solum vicerant, vanis tantum aristis spem fefellerunt, & inanes culmos tristis agricola iactavit ventis nihil relicturis. Levia queror: prata exaruerunt, perierunt frondes, germina non exierunt: nuda terra & rudes glebæ, & aridi fontes erant. Nisi hæc omnia inter scientes dicerem, poteram videri falso questus de hoc anno, quo tantum frumenti vendidimus. Utinam saltem nobis rudem victum sylvæ ministrassent, & carpere arbuſta, concutere quercum, legere fraga licuisset: & quæcunque primi mortales ante traditos divinitus mitiores cibos contra famem objecerunt, pestifer annus reliquisset. Non eram delicatus. Sed ô tristis recordatio, funesta necessitas, nihil

Nil habuimus quo viveremus, præter famem. Nec tamen in totum queri de numinibus possumus, maria certe secunda experti. Si voluisset servare legatus diem quem illi felicitas temporis dederat, potuit nobis frumentum bis afferre. Ut primum tanti mali sensus in civitatem percrebuit, cum jam urgente inopia quotidie malum arctius premeret, & præsentem fortuna peior tamen esset futuri metus, apparuit nullum ex propinquo esse præsidium, cum finitimas quoque civitates incendium nostrum adussisset. Erat quidem aliquid in vicino adhuc frumenti, sed jam nemo vendebat. Ergo ut vidimus salutem publicam trans mare petendam, se in curiam quisque cogunt. Ut arma bello, ut aqua incendio inclamari publice solent, ita uno quodam consensu, non ætatibus spectatis, non honoribus, pariter retulimus, probavimus, decrevimus, pedibus manibus ivimus in sententiam necessitatis, nec ordo nos officiorum moratus est. Legationem multi pollicebantur, nec innocentiae iste beneficio, vel auctoritatis meritorumque respectu electus est: una causa nos movit, quod se cito redituro pollicebatur. Pecuniam sine numero infudimus, frumentum sine modo mandavimus, quantum potuisset afferret, festinaret modo. Hoc una voce supplices acclamabamus, ac ne moraremur, ne hoc quidem diu rogavimus: una tantum vox fuit, quam iste pro quodam præjudicio amplexus est. Nihil agis afferendo frumentum, si post illum diem veneris. Nostris manibus legatum in navem tulimus, ac ne quid moræ esset, pro sua quisque portione etiam commeatum dedimus, retinacula incidimus, & littus ingressi classem publicis manibus impulimus. Inde fugientia vela longo visu profecuti, facilem emptionem, secundos ventos, placidum mare, non secus ac si ipsi navigaremus, precati sumus. Quis credat hoc de tam miseris? Omnia à diis impetravimus, scilicet unum superest, ut pro aliena civitate vota solvenda sint. Cito pervenit, cito emit, cito rediit quo voluit. Quid prodest expectare? Alia civitas prior est,

& sane religiosus legatus diem expectat. Nos interim coacta primo ex agris pecora diripuimus, & ne venturo saltem anno prospici posset, non reliquimus qui ararent boves. Jam servis fugas imperavimus, jam procumbentes antelamina principum pauperes in ipsis precibus expirant. Plorantibus liberis legatum promittimus. Jam tantum sibi quisque cura est. Nihil tamen horum etiam nunc in invdiam legati queror, adhuc prior cursus est. Haecenus nostra mala tulimus, in reliqua legatus nos vicarios dedit. Si quicquam tibi humani sanguinis superest, nisi nimia saturitate alienae fortunae cogitatio excidit, respice patriae casum: respice necessitatem gravissimam. Miseri te misimus, expectant pallidi exanguesque cives tui, & quicquid extremi spiritus adhuc superest, spe tui trahitur. Figura tibi exesos vultus, decrecentem populum, jam praemortuas vires. Nec quicquam horum potes ignorare, si quid tibi credimus: fame laborantem civitatem vidisti. Festina dum supersunt quibus legationem renuncies. Festina dum mori ultimum est, frumento digni sumus. Quid in nos convertis etiam alienae civitatis famem? Quatenus nobis computandum est propter te duplum mali tulimus. tu super frumentum publicum stertis, & omnes maris circumvectus oras, littora portusque cognoscis. Tu inter duas civitates fatorum arbiter, alienae conditor, tuae everfor, salutem nostram peregrinis admetiris, & secunda tempestate in patriam ferentes habens, contrarios ventos exoptas. Nos per arentes effusi campos, morientium herbarum radices vellimus, eo quidem fortius, ut si fieri possit, in venenum incidamus, subeuntes insolitis cibis. Et sicubi forte uberius paulo pabulum contigit, de pascuis rixa est. Amaros fruticum cortices, & ramorum male arentium pallidas frondes decerpimus. morbida quicquid fames coëgit, corpus admittit. Jam passim moriuntur: & pestilentium more pecudum subinde aliquis ex populo in ipsis pascuis procumbit. Crebrior cotidie interitus, & latior strages: & me miserum,  
jam

jam fames desinit. Quos tester deos? Superosne, quos per tantum nefas fugavimus? An inferos, quos nobis permiscuimus? An nostram malam conscientiam, omnia nos ante fecisse, quæ nemo præter nos fecit? Pecora cecidimus, campos evulsumus, sylvas destruximus, novissime nihil relictum est præter esurientes & mortuos. Si qua est fides, libenter hanc partem accusationis subinde differo: adeo ubi tantum nefas narrandum est, etiam exigua temporum lucra sectari libet, & necesse est reo indicare, qui à malis publicis abfuit, quam multis non ad diem venerit. Ignoscite dii hominesque sceleri quidem ultimo, sed tamen quod fecisse miserrimum est. Non habitant una pudor & fames: & cum semel intrarit impotens domina, feras etiam & ingentes beluas subigit. Terram morientes momorderunt. Memetipsum si nihil fuisset aliud, comedissem. Sed confitendum est, legati beneficio non defuit. Postquam omnem patientiam vicerat ignea fames, postquam spes quoque, quæ miseris ultima est, omnis abierat, & frumentum toties sibi frustra promissum animus jam ne cupere quidem audebat, subiit furor, & alienatio mentis, & tota sui arbitrii fames facta est. Animus malis diriguerat, os insolitis cibus stupebat, feris invidere cœpimus. Primo tamen furtim, & intra suas quisque latebras admisit hoc monstrum: & si paulo citius venisses, potuisset hoc negari. Si quis ex strage corporum defuerat, sepultum putabamus: nec tamen indicavit quisquam, nec deprehendit aliquis. Nemo ut hoc faceret exemplo impulsus est, se quisque docuit, omnes scire cœpimus, postquam omnes fecimus. Quoties tamen antequam inciperem, in portum cucurri? quandiu in altum intentus si quæ essent in conspectu naves, oculos fatigavi? Tibi, legatè, tempus differre facile est, qui tuam tantum partem non vendidisti. Tu quem habeas diem videris, ego septimum expectare non possum. Ergo rabidi super cadavera incubuimus, & clausis oculis, quasi visus conscientia acerbior esset, tota corpora morsibus con-



sumpsimus. Subit interim horror ex facto, & tædium ac detestatio sui, & planctus. Sed cum ab infaultis fugimus cibis, urit iterum fames, & quod modo ex ore projecimus, colligendum est. Nunc mihi illa fœda videntur, nunc abominanda, laceri artus, & nudata ossa, & abrepta cute intus canum pectus. Nunc occurrunt effusa præcordia, & lividæ carnes, & expressum dentibus tabum, & exhaustæ offibus medullæ. Quantulum enim corporis fames relinquebat? Nunc illud horreo tempus, si quando aut manus incidit, aut facies, aut aliquid denique quod hominem propria nota signat. Nunc cibi succurrunt quos imponere in mensam non ausus sum. Confitendum est enim, devoravimus homines, & quidem avide, qui diu nihil ederamus: & tamen coepisse difficillimum fuit. Postquam jus factum est, postquam nemo erat in civitate quem confiteri puderet, tum vero jam in posterum prospicimus & funera horreis condimus. Retro aguntur exequiæ, aut citra aut ad rogos pugna est. Hæres cadaver cernit. Novum & incredibile, nisi nossemus, monstrum habuimus, sine rogis pestilentiam. Mortui ratio non constitit. Perisse cives scio tantum, quia inter viventes non video. Ægri affidentes timebant, & labentem animam supremis domesticorum oculis reducebant. Primo tamen nihil rogabant suos nisi totam sepulturam. Ut major urgere necessitas coepit, beneficium factum est expectare dum moritur. Nemo adeo affinis fuit, nemo tam conjunctus, quo pietas abstineret. nostros comedimus, nostros. Nam si alienos vellemus, nemo audebat, nemo cedebat. Nihil est tamen quod indignari velitis, narravi vobis lucrum vestrum. Frumentum duplo vendidimus, & calli-

[ Mortui ratio non constitit. ] Scribe: Morti ratio non constitit. In Mortis vel Libitinæ rationes veniunt qui efferuntur & cremantur. Quum igitur tot homines defuncti rogis imponuntur, quot moriuntur, constat Morti, vel libitinæ ratio. At his, quia vivi absumpsere cadavera mortuorum, Morti non constitit ra-

tio, quæ magnam partem eorum, quos suffocarat, non accepit rogo impostam. Seneca in Hippolyto: *Constant inferno numerus tyranno.* Decl. 10. *Constat licet utrimque mortium numerus.* Adde quæ ad M. Senecæ contro. secundam diximus. Gronovius.

callidissimus legatus vicinæ civitati imposuit. Plena nunc horrea, bonæ rationes, onustæ naves sunt, & quo magis gaudeamus tanto bono, pauci sumus. Nam quod ad temporis excusationem pertinet, nihil est opinor quod æstuet. In desertum non incidit populum, nec sane fuit cur festinaret, etiam nunc expectare poteramus. Sola est nostra civitas quæ fame perire non possit. Dissimulaturum me putatis istius patrocinia? Confiteor, venit ad ultimum diem, attulit frumentum, gratulemur quod jam nulla civitas fame laborat. O si vires sufficerent, latera durarent, aliquid ex aridis diu faucibus residuæ vocis exiret: quanta indignatione opus erat, ubi pro omnibus dolendum est? Quod cum ita sit, universi qui assumus, proclamemus, hæc tota concio in unam vocem consentiat, non esset tamen futura par crimini invidia, ut omnes accusemus, quæ pars queritur? Secum quisque reputet quæ tulerit, quid admiserit. Plane immanis belua est, & non tantum necessitatis causa per nefas pastus, qui quod comederit hominem, non irascitur. Succurrite dolor & feri vomitus, & ultrix pœnitentia. Ades longi jejunii imperiosa necessitas, & vos intus implicitæ, si quid potestis, admovete animæ & à ferali ventre prorumpite, dum commissum nefas devoto capite expiamus, & quasi lustrata urbe, feralem victimam violatis manibus mittimus. Decent nos tales hostiæ. In iudicium perduximus publicum scelus, & infamata civitati quæro velamentum. Nemo non commisit aliquid, habetis tamen, si vultis, unum, & pro omnibus nocentem: reipublicæ læsæ accuso. Mirari vos certum habeo hanc verbi segnitiam, cum civitas tota consumpta sit, cum populus in se tabuerit, quo perstricta tantummodo patria, & leviter (quod ajunt) manu offensa intelligi possit. Sed ferenda est, ut in cæteris hæc quoque rerum naturæ injuria, quod non tam immanibus factis paria verba accommodavit: & fames no-

L 4 stra,

I Et leviter (quod ajunt) manu offensa.] Ut apud Ciceronem *levi brachio*, *molliter* lego: & *levi* (quod ajunt) manu offensa. *brachio*. Gronovius.

stra, fames dicitur: & cibi nostri, cibi vocantur, & respublica nunc læsa. Nec scilicet nisi peracto legitimo ordine reus punietur. Omnia rogo scrupulose agantur. Videte ut jure irascamur, qui contra jus viximus. Imo etiam si libet defensionem audiamus, & jam nunc nos moretur. Neget læsam rempublicam: quia plusquam læsa est. Non enim discussos alicujus operis angulos, nec recisas lucorum frondes, nec publicarum ædium dispersos parietes objicimus. Ac si videbitur, adjiciet forsitan non esse rempublicam quæ perierit. Id enim superest, ut jam hoc nomen extinctum audiamus. Procedet eousque fortasse, ut esurisse nos neget. Non inficior autem parum proprie hoc legis verbo nefas istius signari non posse. Majores enim ne lædi quidem rempublicam impune voluerunt, ideoque existimo etiam hoc esse comprehensum. Nemo autem verebatur ne absolvi posset crimen lege majus. Quid quod actionem reipublicæ læsæ tentat in legem male gestæ legationis deflectere? Eligit reus crimen, hoc est noxius crucem optat. Non sustineo, iudices, in tanto animi motu argumenta conquirere, nec impetus iræ meæ in digitos descendit: hoc tamen scio, non cadit in formulam publicus dolor. Nec si adeo iudicibus quid passi sunt exciderit, ut has ferant cavillationes non diluentes crimen, sed differentes, populus quoque impunitum nefas sine lapidibus præteribit. Non præscribes. Te accusare malæ gestæ legationis possum. Age porro, si occisos objecero homines, non tu es causa mortium? Si violata sepulcra, non propter te rogos fraudavimus? Sed legatus fuisti, quod tamen ipsum quid est aliud quam rempublicam tractare? Rem autem qui male agit, ut arbitror, lædit. An existimas hanc legatis dari peccandi licentiam, ut quæcunque scelera in eo officio commiserunt, cum his omnibus hac una lege decidant? O nimium invidendam hujus legationis conditionem, si tibi & famem remisit & legem. Sed erraverim sane, & quia nullum in foro nostro iudicium fuit, desuetudine ipsa jura excide-

ciderint: quomodo legem meam effugis? Nam nisi malis stupeo, duo sunt omnino quæ in ejusmodi crimine quæri soleant, An læsa sit respublica, an ab eo qui arguitur læsa. In quibus si quid tibi fiducia fuisset, non à criminibus crimina appellares, nec ad alteram pœnam transfugeres, sed te ab hac quæ intenditur, tuereris. Dico læsam esse rempublicam. Oratione hic opus est, aut reliquorum more accusatorum hoc nunc mihi quærendum, quomodo res verbis aggravetur. Adeo infirmata est calamitatum memoria, quæ si posset excidere, non tamen narranda nobis, sed ostendenda erat ruina publica. Agedum, si videtur, extra portas prospicite squallida arva, & spinis oblitas segetes, & semesos arborum truncos. Viduis cultore agris, errant à fame nostra innocentes feræ, inanes villæ sunt, & deserta horrea in ruinam procumbunt. Nullis inverfis aratro glebis campus nitet, nullum solum opere renovatur. Jam & in sequentem annum famem timeo. Redite in domos vestras, videbitis noxios focos, & ignes tabo cadaverum extinctos, & tecta mortibus gravia, cum maxime inferimus in tumulos ossa insepulta, ducimus opertas exequias, & ad sepulturam residua conferuntur, & tandem cadavera igni permittimus. Ubi vero universas familias fames extinxit (quæ pars maxima est) inanes domus situm ducunt, jacent relictæ sine hærede sarcinæ. Invenitur interim clusa domo conditus dominus, si cujus mors famem evasit, quem ridentes non invenere proximi, qui inter suos ultimus decessit. Quo vos mitto? Ipsam intuemini concionem, unius deficientis speciem tota civitas habet, cavum macie caput, & conditos penitus oculos, & laxam cutem, nudos labris trementibus dentes, rigentem vultum, & destitutas genas, & inanes faucium sinus. Prona est cervix, tergum ossibus inæquale, infernis imaginibus similes, foeda etiam cadavera. Aut si quis talis non est, confiteatur se usque ad futuritatem comedisse. Sua quisque consulat misera præcordia, suum ventrem conscientia gravem. Dic nunc legatè, inno-

cens sum, quod ad illum diem veni. At ego propter te nocens sum, quod ad illum diem vixi. Quæ comparata nobis mala, non delicatas lacrymas habent? Aliquem populum hostilis exercitus intra portas cogit, solet venire ultima obsessis inopia, sed everti certe licet. Victor captivum aut occidet, aut pascet. Tormenta quidam piratarum tulerunt, felices quibus contigit innocentia. Mors certe finis est, nec sævitia ultra fata procedit. Aut etiam si quis adeo hominem exuit, ut ibi pœnam quærat, ubi sensus doloris non inveniat, nempe tamen cadavera feris objiciet. Circundati sunt quidam flammis, ipsa tamen pœna habuit sepulturam. Nos incendii cinerem perdidimus, nostra etiam ruina tabuit. Nostra mala non latent, non ignis defunctos cremavit, non feræ laceraverunt, non aves attigerunt, & tamen cadavera mortibus annumerare possumus. Citra spem convalescendi afflicti sumus, imo etiam citra votum. Gravior in dies facti pœnitentia est, pudet vitæ, lucem ac sidera intueri non audeo, cotidie felices mortuos clamo, & malæ conscientiæ facibus agitatus, nihil fortunatius in æterna sede utcunque compositis puto; adeo mors placet. jam etiam cibus nostris invideo, præterita differo, ipsa ex nimia cupiditate nocet abundantia, desideratos diu cibos avide haurimus, & lassam famem saturitate strangulamus. Morimur adhuc etiam frumento tuo. Atqui cæteræ reipublicæ partes, quæ sunt ad usum populi comparatæ, & levioere cum damni censu pereunt, & facile remedium accipiunt, cum reparari possit amissum. Opera restituiam, ærarium replebo, naves, arma reficiam: hic vulnus altissime penetrat, hic ipsa vitalia feriuntur, ubi populus ruit, ubi continuis funeribus omnis sexus atque ætas semel sternitur. Exhausta est civitas, & desolatæ domus, triste florentis quondam fortunæ indicium, laxi muri. Quam multi in civitate nostrâ perierint quæritis? Mi-

nima

1 Cadavera mortibus annumerare possumus. Scribe: & tamen cadavera Mortis annumerare non possumus. quia scilicet ipsi consumpsimus, & sic cum Morte conturbavimus: non possumus parari. Gronovius.

nima quidem portio superest, sed etiam ex hoc intelligi potest, esurienti populo satis fuerunt. Plurimum tamen interest quomodo perierint. Felix pestilentia, felix præliorum strages, denique omnis mors facilis, fames aspera vitalia haurit, præcordia carpit, animi tormentum, corporis tabes, magistra peccandi, durissima necessitatum, deformissima malorum. Hæc ad humile opus nobiles manus mittit, hæc alienis pedibus mendicantes prosternit, hæc sæpe sociorum fidem fregit, hæc venena populis publice dedit, hæc in parricidium pios egit. Adhuc tamen unum videbatur remedium, non expectare mortis diem, & tabescentem cotidie spiritum supervenientibus malis subducere. nam in fame nemo quidem mortis immunis est. At non tua culpa fames coepit, sed vulneratum jugulasti, titubantem stravisti, fumantem incendiasti. Ne quid inique faciam, divisa sunt mala. Primam famem fortunæ imputo, ultimam tibi. Moram tuam itineribus separo. Denique ex eo inopiam tibi objicio, ex quo propter te tuli. Itaque caritas annonæ, rarum frumentum, cædes ac direptio pecorum, fuerint fortunæ, fuerint anni, fuerint temporum. Aliam conditionem habent civium mortes, & cadaverum dira laceratio, & pejores inopia cibi. Hæc fames jam tua est. Puta me in præsentem nihil adjicere nisi hoc unum, tardius quam potueras venisti. Nondum tibi objicio duplicata tempora, nec remensum toties mare, nec graves ancoras, nondum tantam moram, quanta legationi satis esset. Si innocentes effemus, populum septem diebus perdidisses. Angustos humani spiritus terminos fames fecit. morimur, deficimus. festina misericors, omnes excipe auras: etiam si tota secundis flatibus tetenderint vela venti, tamen remis adjuva. Salutem publicam vehis, spiritum populi tui reportas, omnium nostrum in ista classe navigant animæ. Juramus per tuum reditum, effusi per gradus templorum vota suscipimus, tendimus manus: nam quas feriamus hostias, non habemus. Quid spem publicam ad ancoras alligas? non stat

stat interim dies, & plenis velis mors venit. Festina, merita tua non conditores æquaverint, non ipsi dii plus præstiterint. Tibi nos, tibi liberos nostros, tibi quicquid homini jucundum est, tibi debemus quicquid vicinæ civitati præstitisti. Non dico illa quæ poteram, puta cæruleus imber in naves ruit, classis inter fluctus latet, nec inter canentes collisarum aquarum spumas vela dignoscimus, egerit ex fundo arenas mare, micant ignes, intonat cœlum, scissis rudentibus tempestas sibilat, denique sidus hybernum conditur: tu tamen persevera: frumentum vehis: nihil horum necesse est feliciter naviganti, festina. Querere si naves comœatu tardasses, dum velocitatis ratio haberetur: mallem accipere dimidium. Non delicati sumus, non luxuriæ quæritur abundantia, sed unde spiritum sustineamus, unde mortem differamus in præsentia quantumcunque. Si plus opus fuerit, redibis. Siccæ fauces sunt, æger anhelitus os tendit. Jam frustra in sinu parentum liberi plorant, & nondum editi conceptus intra uterum famem sentiunt. Jam nemo dives est. Auras captamus, & rore vescimur, & jam sperare tormentum est, cotidie vires deficient. Jam non imus in littus, sed redimus. In editis scopulis populus sedet dum naves expectat, in pascua non redit. Aquas ingredimur, & unus ad te spectantium rictus est, & cum defecerunt omnia, expirant. Te, te expectantes intentis oculis morimur, in mare mortui cadunt. Quoties sole percussa nubes refulsit, navem putamus, quoties fractus vento fluctus incanuit, vela interpretamur. Omnes mobiles miserorum spes, ad unaquæque solatia, ab unoquoque quomodo nutant? Hæc certe navis est, ecce vela panduntur, propius appellitur, & accedendo crescit, nostra est, suos in utramque partem ventos habuit, nostris votis gubernati flatus sunt. Hæc dicimus, at illa interim transvolat. Fletus inde & desperatio, & lucis odium. Nihil enim gravius quam destitutæ spes torquent. Ne interrogare quidem licuit, aut quærere, nemo applicabat. Ergo incerti omnium rerum

rerum pependimus, nihil quisquam cognovit. Saltem si sci-  
 re licuisset ubi frumentum vendidisses, ipsi petissemus. Jam  
 quomodo ad singula momenta temporum mutabantur ani-  
 mi? Bene est, serenus sol occidit, purus se dies tollit, ad nos  
 venti ferunt, jam veniet. Pendet interim fames, & illud  
 quod jamdiu cogitat differt, ita tamen, ut subinde compu-  
 tet quot dies ad mortem super sint, nam quid profecit? Me-  
 ministis, cum contrarii venti flare cœpissent, & in altum  
 fluctus à terra volarent, quanta comploratio, quanti plan-  
 ctus fuerint, retinebitur, itabit, laborabit. At si diis placet,  
 legatus noster tum maxime bene navigabat. Nos in hac  
 fortuna, in tam gravi casu, in ejusmodi cogitationibus su-  
 mus, tu sinus maris circuis, & per omnes curvatorum lito-  
 rum ambitus terram legis. Sic fit ut te juvet diu navigare.  
 Nullus amœnus prætermittitur portus, nulla celebris ci-  
 vitas invisitata transitur. Mentior, etiam ad esurientes  
 applicas. Dein si quam timoris injuriam quereris, non fe-  
 ram te morantem: quomodo satis accusabo vendentem? Quæ  
 spiritus nostros transcribis, salutem nostram exponis. Quæ  
 diu inæstimabilis fuit, innocentiam publicam vendis. Fru-  
 mentum non naufragio perdidimus, non latrocinio: lucro  
 perimus. Tempestas quoque aliquam navem in medium  
 littus impingeret, & ex classe numerosa omnes fluctus ex-  
 haussisset. periit frumentum; quia classis venit in portum.  
 Ita nos alienæ civitati legatum misimus, & vilia ac devota  
 capita vicinorum deliciis morimur. Nobis nihil jam resi-  
 dui spiritus superest, nos in conspectu mortis stamus, nos  
 legatum frumentumque nostrum ore aperto expectamus,  
 classis nostra vecturam facit, & vicinarum civitatum co-  
 pias reconducit. Pene à conspectu nostro vela conversa  
 sunt, quantulo minus quam congesti frumenti pulverem  
 vidimus? tantum jam temporis transiit ex quo pecuniam  
 contulimus, legatum creavimus. Jam dinumeratis tem-  
 poribus quæ secundi venti breviora fecerunt, cotidie spe-  
 ro, & sane prope est. At legatus meus ad emendum modo  
 pro-



proficiscitur. Tibi ergo tot civium mortes imputo, tibi stragem populo, tibi liberorum parentumque miserrimas poenas, tibi quicquid passi sumus, tibi, quod gravius est, quicquid fecimus. Et scilicet speras ut tantam sceleris invidiam ab animis nostris duplæ pecuniæ strepitus avertat? Nescis quam multa vendideris. Duplo vendidi. Itane infelicitas mea negocianti tibi lenocinata est? Quod fame perire cives meos patior, quod ut vestram civitatem fervem, meam evertō: quod à tam vicinis littoribus classem torqueo, quod ad diem redire non possum, <sup>1</sup> quod precium constituit, quod occultum datis duplum, patrocínio meo quantulum lucrō? At nos inepti ac vesani de fame querebamus, gravis nobis inopia intolerabilis & misera, accersita mors videbatur. Non agimus gratias industriæ legati? Respub. nostra locupletior perit. Sacrosanctus mercator opportunum, opinor, <sup>2</sup> invenit mercis exactum. Miror hercle, si tam bene negotium gesseras, quomodo nobis pecuniam non retuleris. Duplo vendidi. Decepisti vicinam civitatem, circumscripsisti, itaque queritur. Duplo vendidi. Hoc enim unum supererat, ut devectum tantidem venderes. Habita est itineris ratio, habita usurarum. Ego vero malo quod tam magno vendidisti. Apparet enim te nihil coactum. Sed si semel ponis hastam salutis, si redemptores vitæ admittis, & nos admone: melius vendes. Nos quicquid in domibus habemus, quicquid in templis, quicquid civitas suam vocat, congerere parati sumus. Frumentum

<sup>1</sup> Quod pretium constituitis, quod occultum datis duplum.] Verba sunt legati, elicientis ab emptoribus majorem pecuniam. Non ipsa tantum merx æstimanda est, sed augere pretium debet, quod ea meos defraudo: quod ut vos juvem, meos cives perdo, &c. Pro his igitur, agite, quod pretium constituitis? Pergit: quod occultum datis? quod scilicet in sinum condam, & non referam in ararium civitatis. Duplum patrocínio meo tantum lucrō. Hoc est quod duplum offertur, id me non reddet ditio-rem, sed

pecu- id lucrō reipublicæ & patrocínio meo, ut nimirum apud illam excusatus sim. Occulto infra componit apertum: Solent hi negotiatores, præter aperta pretia, privatim aliquid & proprium stipulari. De patrocínio etiam: Sed mihi credite, color iste patrocínii est, & diu in saturo otio cogitata defensio. Rursus: Venit fortasse frumentum lucrō redemptum est patrocínio. Gronovius.

<sup>2</sup> Invenit mercis exactum.] Ut Græci ἐξαρῶν. Sic exigere fructus Livius libro 34. Ubi vide Notas nostras. Idem.

pecunia remetiamur, libertatem nostram addicimus, fines publicos tradimus: omnia licet eadem vicina civitas polliceatur, plus non potest. Profit mihi quod apud negociatores solet, in antecessus dedi. Triplum, quadruplum, quantum poposceris accipe, & illa pecunia frumentum licet vicinis afferas. Si nobis nihil de com meatu nostro partiris, nos vicinæ civitati vendemus. Liceat servire ubi frumentum est. Non exigua res est, pro vita, pro sepultura, pro innocentia licemur. Non potest hic com meatus tam caremi, quam expectari. Sed nisi vendidissem, inquit, fame laboranti civitati timui ne raperet. Et ita utique occupare voluisti, ut nobis injuriam tu potissimum faceres. Multum mehercle vos fallit opinio, iudices, si ullam causam ita evidentem deferri posse in forum putatis, cui nulla ne mendacii quidem velamenta contingant. Opinione sua defenditur: & quæ res minime coargui potest, utitur se teste. Ne nos periremus, non timuisti: ne repetiti com meatus post diem nostræ mortis applicarentur, non timuisti. Nostris certe malis quanquam nihil poterat accidere inopinatum, tamen inter metus tempestatum, & ancipites incertis maris casus, confiteor, ne frumentum salva classe perderemus, non timuimus. Non dico ut maxima vis parata sit, ut more immanis latrocinii turba raptorum littus premat, vel repugna, vel fuge, vel roga. Incensurum naves depressurumque minitare potius, quam totum frumentum utique populo pereat. Partire vel gratis, dum nobis aliquid quo respiremus afferas. Illud quo certe nihil asperius accideret, rapi patere. Faciat fortuna quod voluerit, legatus à præcepto non recedat. Refer nobis saltem injuriam nostram, mitte nuncios: ita famem differemus, rapiemus furentes arma, & se in obsidionem civitatis inimicæ sine delectu populus effundet. vastabo interim fines, hoc est per aliena prata pascari. Si qua in villis deprehendero pecora, diripiam, bellum me alet. Citius ad frumentum pervenimus, quam tu cum frumento redibis, adjuvabunt pugnantem iusta sacramenta.

cramenta. Si contigerit æquum fortunæ iudicium, non meos tantum comæatus recipiam. Si minus, certe dabitur bene mori. Liceat & manum conserere, in acie configere, condant se postea licet muris, longius obsidio eat, interim certe hostium potius cadaveribus vivemus. Sed nulla vis fuit, nulla exterior injuria, tuum certe comæatum nemo rapuit. jure miseri sumus, & ex stipulatu legati nostri perimus. Vendidit quantum voluit, quanti voluit: & ut hoc ad nostras accederet moras, <sup>1</sup> fortasse diu concionatus est. Omnis cum fide perfoluta pecunia est. Hoc qui colligo? Qui quanti vult vendit, iudices, potest non vendere. Nam per fidem si rapere alienum frumentum & possunt, & volunt, quid ita duplam pecuniam solvunt? Nam quomodo in magna inopia quicquid emi potest, vile est: ita cum possis habere gratuitum, duplo carum est. Sed mihi credite, color iste patrocini est, & diu in saturo ocio cogitata defensio. Non potest similis usquam fames fuisse. Nos grave hujus anni sidus afflavit, nostrum hoc fatum fuit, quos non tantum fata, sed etiam empta fallunt: qui nostra pecunia, nostra classe, nostro legato, nostro vento, felicissimo cursu, comæatum tamen perdidimus. Nos à frumento longius sumus, ad illam civitatem potuit frequenter accedere negociator, sæpius applicari onusta classis. itaque non misere legatos, nullus illis comæatus longius petendus fuit. quod felicissima annona, affluentibus copiis, fortunatis opibus contingit, nihil emerunt nisi devectum. Quare nulla caussa istius quem fingis metus fuit, nulla utique vis. Forum legisti, & quia adhuc superaret tempus, obiter negotiatus es. Rapturos putavi. Quid dicis scelerate? Et cum hoc timeres applicabas? Onustus viator apud latrones hospitaris? Comæatum publicum in annonæ scopulos impingis? & plenæ frumento classis ancoras ad famem ducis? Non præcides medium mare? non velut inhospita-  
tales

<sup>1</sup> Fortasse diu concionatus est.] Valde | gine ac vi verbi vide quæ scripsimus ad  
placet Salmasii concionatus est. Sed de ori- | Plauti Aſinariam, 1, 3, 51. Gronovius.

tales Syrtes, aut voracem Charybdim præterveheris? non tota in fugam vela torquebis? Nusquam est periculosius legationis tuæ naufragium. Tu ut cogi posses, tu ut auferri frumentum posses, effecisti. Tantum habituri sumus, quantum reliquerit pudor esurientium. Quid te duplo frumentum jactas vendidisse? Potuerunt nihil solvere. Quod refers, alienum beneficium est. Alterum confingitur hoc loco mendacium. Tempestate, inquit, appulsus sum. Ita plane infelix navigator es, & cujus votis auræ non respondeant? Nescimus te duplo melius navigasse, quam speraveramus? Nescimus singulis com meatibus bina itinera confecta? Nescimus in una legatione ventos quater secundos? Sat erat verbo negare, quod verbo ponitur. Remove hanc spem eludendæ mendacio civitatis. Quo damno probas tempestatem? Quid amisisti? Frumentum certe totum venit in portum, nec laborasti quanquam nimium onustas naves simulaveris, duplum afferre poterant. Non vexata armamenta, turbatosque funes, aut scissos velorum sinus quereris: classis statim exiit, & quod magnum integræ signum est, cito rediit. Porro tempestas in unum agebat angulum, nihil potuerunt obliquata vela deflectere. Non potes ultra procedere, citra applica. Effuge raptores, effuge non dimissuros. Si aliud fieri non potest, cum tempestate decide, naufragio in desertum littus impinge. Quid evitata procella prodest? quid subducta nubibus inviis classis? in portu naufragium fecimus, & frumentum ad ancoras perdidimus. Ego vero, inquit, attuli, & quidem duplum. O nos felices, rumpamus saturitate præcordia, pascamur in præteritum, & famem crudelitate pensemus. Frumentum attulisti. Quid quod medicina mortuorum sera est? Quid quod nemo aquas infundet in cinerem? Quid quod extincto populo etiam novendialis tarde venit? Quid quod jam ego frumentum non desidero? Naufrago tabulam abstulisti, mortuo applicas navem. Duplum est, infunde in sepulcra, & admetire tumulis. ibi sunt qui mandaverunt.

M

runt.

runt. Quid aliud effecisti afferendo frumentum, quam ut nos quod adhuc fecimus, poeniteret? Nunc me magis pudet, nunc cibos meos objurgo, potui heri non comedisse. O nefas, in quo me scelere commeatus deprehendit? Siccine paria fecimus? Adhuc nihil habuimus, sed nunc licet reponamus. Quis autem unquam pensabit necessaria supervacuis? Duplum attulisti, sed illis qui perierunt, nihil. Sed non possumus jam non fecisse quod fecimus; plerunque fera pro nullis sunt. Sed & temporum ista momentis aut preciosa fiunt, aut vilia. Vis scire quantum inter hoc tempus & illud intersit? Tenta igitur forum tuum, totum hoc non potes dimidio vendere. Superest adhuc unum patrocinium, in quo spes omnis profligatae causae consistat. Ad diem veni. State hic certe, iudices, nam ferri non potest, exundat altius dolor. Pudorem publicum, quanvis projectum, & jam olim sepultum, hucusque protrahis? Cur non expectavimus? Cur famem non ad constitutum diem tulimus? Cur ad tantum nefas accessimus? In hac lance publica causa, iudices, pendet, aut iste tarde fecit, aut nos cito. Hoc videlicet expectasti, & ne copiosum esset officio tuo maturius redisse, ex industria tempus trivisti. Non tempestas in causa fuit, non vis ulla vicinæ civitatis. Una ratione moratus es, nondum erat tempus. Adeone nobis miseræ publicæ exciderunt? Adeo insperato frumento obstupuimus, ut hæc audienda sint? Ultimum omnis memoriæ reum una vox innocentem facit? Populatorem everforemque civitatis nisi ad supremum damnabo, absolvatur. Publicus reus rediit. Illum, respondet, diem dedimus. Tu tamen si interpellatus tempestatibus serius venisses, excusares mare, & ambiguos flatum, & tibi bonam causam habere videreris, cum diceres, ante non potui. Et nos hæc cogitavimus, his casibus ampliavimus tempus. Nos illum tibi diem dedimus: sed quia illud citius emisisti quam spera-

*1* Cur famem non ad constitutum diem tulimus.] Sic nunc passim editur. At olim: Cur famem non ad constitutum distu- limus? Quod mihi multo elegantius. Vide Obsery. I. I. Gronovius.

speravimus, supra votum nostrum navigasti. ad proximum littus mature classis applicata est. Ego tibi possum satis irasci? Felicitatem nostram perdidisti. Ergo quantum in te, tempus consumptum est, dies excessit, pejus pati nihil possumus, sed pessima diu patimur. Imputa nobis propitios ventos, & secundum mare, & civitatis opulentæ liberalitatem, quæ tantum frumenti vendidit, quantum duobus populis satis esset. Quantumlibet velocitate tua glorieris, computa si placet, quando primum conterminos portus onusta classe comprehenderis, quam tarde à vicina civitate venisti. At etiam, si diis placet, animo defenditur, & quam causam vexandæ civitatis habuerit, quærit. Istud ego interrogare debueram. non ubique, iudices, morandum est: alioqui si quid requirere vellem, multa occurrissent. Solent hi negotiatores, præter hæc aperta pretia, privatum aliquid ac proprium stipulari, utique cum alienam rem vendunt. Potest fieri ut primo lucrari voluerit pretium, serius deinde subvenerit reddendæ rationis dicendæque causæ cogitatio. Væniit fortasse frumentum lucro, redemptum est patrocínio. Potest fieri ut aliquam gratiam speraverit à civitate servata: occulta quædam in civitate sua odia, quæ plerunque ex inanibus causis oboriuntur, habuerit. Multa succurrunt, sed (si qua est, iudices, dicenti fides) ego nihil invidiosius reputo, quam quod civitatem suam sine causa perdidit. Quæcunque ratio, quodcunque propositum fuit, audi quæ passi sumus postquam redire potuisti. Transeo tormenta nostræ inopiæ, maciem corporis, vulsos terra, destriictosque ramis cibos, quod aris altaria non imposuimus, quod populus corporibus suis vias stravit, quod mendicus quem rogaret non habuit. Non obijciam tibi famem. O tristis recordatio, ô tormentis omnibus conscientia gravior! rumpe ferreum pectus, & ardentia scelera viventisque intus epulas excute. Luctantur intra viscera animæ, & uterum funeribus gravidum mortes agunt. Credibiles fabulas fecimus, felices miserias, scelera

innocentia. Omnes quascunque clades fama vulgavit, solatia hinc petant: hic audient occisos sine sanguine, sepultos sine ignibus cibos. Si quis mentitus est Cyclopas, Lestrygonas, Sphingas, aut inguinibus virginis latratum. Siciliae littus, & quaecunque miser didici domi, comites quaero, hinc argumentum, hinc fidem accipiant. Quaedam plane falsa sunt: Sol in ortu suo non occidit, nec ad humanorum viscerum epulas diem vertit. Vidit nos vulneribus pastos & ad eviscerata corpora illuxit. Publice monstra commissa sunt, & inexpiabile nefas uno ore civitas fecit. Poenis nostris jam ne fames quidem satis est. Hoc non omnes ferae faciunt: & quamvis sensu careant muta animalia, pleraque tamen innocentibus cibis vescuntur, uti quaeque consueverunt. Inter homines etiam si qua alienis membris imprimunt dentem, mutuo tamen laniatu abstinent: nec est ulla super terras adeo rabiosa belua, cui non imago sua sancta sit. Nos quibus divina providentia mitiores cibos concessit, quibus sociare populos, mutuo gaudere comitatu, sidera oculis animisque cernere datum est: visa non ante nos fecimus, nigros fame dentes pallidis cadaveribus impressimus, & inter horrorem ac famem restrictis labris morsus abruptimus. Cadavera rogis devoluta sunt, & ad funera tanquam ad naves concurrimus. Deficit aliquis extremo jam spiritu pendens tamen durat, quia prius moriturum alterum putat: invicem expectant: & si spei figuratione tardius cadit, morsibus pugnat. Non in omnibus mortes expectantur, pater liberos esurit, & oppressa decimo mense mater sibi parit, redit in uterum laceratus infans. Cludunt domos, ne quis funus eripiat. Solae sunt divitiae mortium. velut infauftae aves supra expirantes stamus. Secreta miseri petunt, in solitudinem fugiunt: & ubi nulla spes vitae superest, mortes suas abscondunt: jam morituri ad feras confugiunt. Dehisce terra, & hanc noxiam civitatem (si hoc saltem fas est) haustu aliquo ad inferos conde. Coelestes auras contaminato spiritu polluimus, &

fideri-

*sideribus ac diei graves, & invidiam seculo facimus. Nul-  
 las jam spero fruges, propitios deos non mereor. Quomodo  
 me à scelere meo divellerem? in quas ultimas terras, quæ  
 inhospitalia maria conderem? Meum sane conscientia u-  
 runt animum intus scelerum faces: & quoties facta repu-  
 tavi, flagella mentis sonant. ultrices video furias, & in  
 quamcunque me partem converti, occurrunt umbræ meo-  
 rum. Habitant nescio quæ in pectore meo pœnæ: & ne  
 morte saltem hos metus effugiam, occupant gravia apud  
 inferos supplicia, volucris rota, & fugacibus cibus elusus  
 fenex. Adeone apud inferos quidem ulla pœna est fame  
 major? & ille hæc patitur, qui hominem apposuit epulan-  
 dum. Nobis imminet saxum, nobis stridunt ferreæ turres,  
 nostris caussis urna jam stetit, nobis vivax ipsum crescit  
 jecur, quia illic quoque viscera tantum aves laniant. Ex-  
 cipiunt nos in proximo littore inhumatæ nostrorum ani-  
 mæ. Miserum me, verane hæc sunt, an mens aspicit? La-  
 ceros video manes, & truncas partibus suis umbras. Quid  
 hoc est? Non de sepulcris insurgunt, non aliquo terrarum  
 hiatu procedunt umbræ nostrorum: de populo exeunt.  
 Illuc ite, illi tædas intendite, illum anguibus petite, & tam  
 longæ moræ exigite rationem. Vobis dicat, Duplum attuli.  
 Vobis dicat; Ad diem veni. Ego si hujus pœnam videro,  
 possum reddere rationem quod vixi.*